

# THEOLOGIA NATURALIS

## INTRODUCTIO

1. Quoniam res tum perfecte cognoscuntur, seu sciuntur, cum per omnes causas, per quas sunt, cognoscuntur, consequitur nullum genus rerum perfecte cognosci, seu sciri posse, nisi illud, postquam in se cognitum sit, ad Deum relatum quoque consideretur; siquidem Deus est causa absolute prima, ex qua omnes res sunt. Hanc ob rationem philosophia, ad quam circa ea versari spectat, sine quorum notitia nullius rei perfecta cognitio existere potest, scientiam de Deo ambitu suo complectitur. Haec est illa praestantissima Philosophiae pars, quae *Theodicea*, sive *Theologia naturalis* inscribi solet, quippe quae de Deo disputat, non quidem Divinae Revelationis praesidio, sed solo rationis lumine; et quoniam, ut s. Thomas inquit, *diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit*, ipsa a Theologia revelata *secundum genus differt*<sup>1</sup>. Illud autem nemini mirandum est, hanc Philosophiae partem, quae ceteris longe nobilior est, postremo loco pertractari, siquidem, monente eodem Aquinate, « in doctrina Philosophiae, quae creaturas secundum se considerat, et ex eis in Dei cognitionem perducit, prima est consideratio de creaturis, et ultima de Deo<sup>2</sup> ». Iam de Deo, quantum ad Metaphysicam spectat, acturi, hunc persequemur ordinem: 1° De Eius existentia; 2° de Eius essentia; 3° de Eius attributis, tum quae absoluta, tum quae relativa dicuntur, disseremus; 4° unitatem Dei contra Polytheistas, et Dualistas vindicabimus; 5° denique abnormem Pantheistarum doctrinam, qua Deus verbo admittitur, re autem negatur, patefaciemus. Quae duo postrema capita tamquam corollaria ex praecedentibus inferemus.

<sup>1</sup> I, q. I, a. 1 ad 2. Cf *Logie.*, p. II, c. III, art. 5, p. 69, vol. I.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 4. Id adversus Gratryum adnotamus, qui (*De la connaissance de Dieu*, part. I, c. I, t. I, p. 53, Paris 1853) veram, germanamque philosophiam a Theodicea ordiendam esse putavit.

## CAPVT PRIMVM

### De Dei existentia

ART. I. *Inquiritur, utrum, necne existentia Dei per demonstrationem a nobis cognoscatur*

2. Deum dicimus ens absolute necessarium, unde quaque perfectum, ab hoc mundo distinctum, et ipsius mundi causam effectricem. Iam antequam *Atheismum*, eorum nempe systema, qui Dei existentiam inficiantur, per absurdum esse ostendamus, duae secum pugnantibus opiniones refellendae nobis occurrunt. Prima est eorum, qui sola Divina Revelatione existentiam Dei a nobis accipi, nunquam vero ratione probari posse contendunt<sup>1</sup>. Alii vero sicut prima principia, ita hanc propositionem: *Deus existit*<sup>2</sup>, rationis lumine adeo cognosci tenent, ut nullius demonstrationis indigeat<sup>3</sup>.

3. Prop. 1<sup>a</sup>. *Existentia Dei potest ope rationis, sine Revelationis adminiculo, a nobis cognosci.*

*Probatur.* Equidem *Sapientiae* c. 13, v. 1, 5, ita legitur: « Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere Eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex ... A magnitudine enim speciei et creaturae, cognoscibiliter poterit Creator horum videri ». Item, Apostolus, *ad Romanos*, c. 1,

<sup>1</sup> Praeter nonnullos veteres huius sententiae fautores, contra quos disputavit s. Thomas (*Contr. Gent.*, lib. I, c. 12), alii fuerunt in Liceo Patavino, qui, duce Zabarella, sese de Dei existentia non naturali ratione, sed sola eiusdem Dei superna revelatione convictos esse profiterentur. Compertum autem est existentiam Dei, secundum Traditionalistas, revelationis, seu socialis traditionis subsidio a nobis cognosci, atque rationem vel omnino ad eam detegendam imparem esse, vel solum, supposita Revelatione, posse demonstrationis ope illam declarare. Cf *Ideolog.*, c. II, art. 3, p. 214, sqq, et *Criterionol.*, c. IX, art. 4, p. 274 sqq, vol. I.

<sup>2</sup> Stricta loquendi ratione propositio aptius enunciatur verbis, *Deus est*. Nam *existere*, secundum etymologiam, derivationem in *esse* a causa significat; constat enim vocibus *ex* et *sistere*; id quod de Deo absurdum est dicere, cum sit, uti mox ostendemus, *ipsum esse a se*.

<sup>3</sup> De Ontologis, secundum quos Deus non modo sine ulla demonstratione cognoscitur, sed etiam assidue mentis nostrae intuitioni obversatur, atque ideo per seipsum immediate a nobis cognoscitur, satis superque diximus in *Ideologia*, c. I, art. 5, p. 193 sqq, vol. I.

v. 20, ait: « Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque Eius virtus, et Divinitas: ita ut sint inexcusabiles ». Atqui *vani*, hoc est, *stulti*, aut *inexcusabiles* non essent ii, qui ex creaturis Creatorem non intelligunt, nisi ex harum existentia ipsius Creatoris existentia legitima ratiocinatione inferri posset. Ergo. Accedit, quod si ratio Dei existentiae demonstrandae impar ex se est, incredulos persuasos reddere non posset Revelationem a Deo hominibus esse factam <sup>1</sup>.

4. Obiic. In Deo *Esse* unum, idemque est, ac Eius *Essentia*. Atqui ratio *Essentiam* Dei scire non valet. Ergo ne potest quidem demonstrare Deum esse.

5. Resp. *Dist. mai.*; si *esse* significet illud ipsum, quo Deus in se subsistit, *conc. mai.*, si significet veritatem, qua noster intellectus existentiam cum Deo componit, *neg. mai. Dist.* etiam *min.*, *Essentiam* Dei ratio non valet cognoscere *adaequate*, *con. min.* ne *inadaequate* quidem, *neg. min. Neg. cons.* Et sane *esse* duplici ratione accipi potest; vel enim significat *actum essendi*, vel *compositionem propositionis, quam anima adinvenit, coniungens praedicatum cum subiecto*. Iam, perspicuum est *esse*, quod unum, idemque est ac Dei *Essentia*, prima, non vero altera ratione intelligendum esse; ac proinde « primo modo accipiendo *esse*, non possumus scire *Esse* Dei, sicut nec Eius *essentiam*, sed solum secundo modo; scimus enim quod haec propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus, *Deus est*, vera est, et hoc scimus ex Eius effectibus <sup>2</sup> ». Ceterum, etsi *Essentiam* Dei non comprehendamus, seu non cognoscamus, *quantum in se cognoscibilis est*, tamen aliqua imperfecta ratione, ut mox dicemus, Eam attingimus; et quoniam inter existentiam Dei, et Eius *essentiam* distinctio *rationis* admittenda est, opti-

<sup>1</sup> Cf *Criterion.*, loc. cit., p. 274, vol. I. Cf etiam definitionem Concilii Vaticani, quam exscripsimus in *Ideal.*, c. I, art. 9, p. 207, not. 5, vol. I.  
<sup>2</sup> I, q. III, a. 4 ad 2. « Nec hoc, idem sanctus Doctor inquit, debet movere, quod in Deo idem est *Essentia*, et *Esse*, ut prima ratio proponebat. Nam hoc intelligitur de *Esse*, quo Deus in seipso subsistit, quod nobis quale sit, ignotum est, sicut Eius *essentia*; non autem intelligitur de *esse*, quod significat compositionem intellectus; sic enim esse Deum, sub demonstratione cadit, dum ex rationibus demonstrativis mens nostra inducitur huiusmodi propositionem de Deo formare, quae exprimat Deum esse »; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 12.

me possumus illam cognoscere, quin hanc *adaequate* cognoscamus.

6. Prop. 2<sup>a</sup>. *Deum existere etsi sit veritas per se nota, tamen est per se nota tantum secundum se, non vero etiam nobis, ac proinde indiget demonstratione, ut a nobis cognoscatur*.

*Probatur*. Quaelibet propositio, cuius praedicatum est in ratione subiecti, *per se nota* dicitur. Iam propositiones *per se notae* vel huiusmodi sunt, ut constant terminis immediate notis apud omnes, e. g., *omne totum est maius sua parte*; vel huiusmodi, ut earum termini non sint apud omnes noti; unde licet praedicatum ad rationem, sive *essentiam* subiecti pertineat; tamen, quia definitio subiecti non est omnibus nota, necesse non est tales propositiones ab omnibus concedi, e. g., *omnes recli anguli sunt aequales*. Ista per se notae appellantur tantum *secundum se*, et non *quoad nos*; illae, per se notae dicuntur non solum *secundum se*, sed etiam *quoad nos*. Hoc posito, ita argumentamur: Propositio per se nota *secundum se* est, cuius praedicatum includitur in ratione subiecti, atque propositio per se nota *quoad nos* est, cuius praedicatum involvitur in ratione subiecti, et nobis innotescit ratio subiecti, et praedicati. Atqui in hac propositione, *Deus existit*, praedicatum includitur in ratione subiecti; cum enim Deus sit suum *esse*, existentia ad ipsam Eius *essentiam* spectat; nobis tamen nota non est ratio subiecti, et praedicati; nam terminos secundum propriam rationem non apprehendimus, atque illos invicem necessario connecti, sive *esse* ad ipsam Dei *essentiam* pertinere, simplici mentis obtutu non cognoscimus. Ergo haec propositio, *Deus existit*, est per se nota secundum se, nobis tamen non est per se nota, sed demonstrativo discursu indiget <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> I, q. II, a. 1 c. Existentiam Dei sine ulla demonstratione admittendam esse Kantius, Fridericus Iacobi, atque Lamennaisius alia ratione tuentur. Kantius enim, ut alibi diximus (*Criterion.*, c. III, art. 1, p. 262, vol. I), Dei existentiam ratione *theoretica* probari non posse, sed tantquam rationis *practicae* postulatum fide morali illi veritati erendum nobis esse autumat. Iacobi autem, hodiernae scholae *sentimentalisticae* auctor, Deum a nobis cognosci contendit non *ratione*, sed *instinctu*, nempe *sensu interiori invincibili*, qui tum existentiam Dei, tum alia dogmata ad mundum intelligibilem spectantia, necnon mundi sensilis existentiam nobis revelat (Vid. *Sermones de Religione* (germ.), Serm. II, Berol. 1831). Denique Lamennaisius, in suo *Esquisse d'une philosophie*, Dei existentiam non esse de-

7. Obiic. 1° Veritatem esse, est per se notum etiam *quoad nos*. Atqui Deus est ipsa Veritas. Ergo Deum esse, est per se notum non solum *secundum se*, sed etiam *quoad nos*.

8. Resp. *Dist. mai.*, si agatur de veritate communiter accepta, *conc. mai.*, si de veritate per se subsistente, *neg. mai.*; item *dist. min.* Deus est ipsa veritas per se subsistens, *conc. min.*, est veritas communiter accepta, *neg. min.* *Neg. cons.* Sane *veritatem esse in communi* ita est per se notum, ut nulla demonstratione a nobis cognoscatur; qui enim veritatem esse inficiatur, iam aliquam veritatem admittit, nempe illud verum esse asserit, quod veritas non est; *sed primam veritatem esse*, nempe re ipsa existere illam summam Veritatem, a qua cetera omnia veritatem suam derivant, *hoc non est per se notum quoad nos* <sup>1</sup>.

9. Inst. Deus est prima veritas. Atqui prima veritas sine demonstratione a nobis cognoscatur oportet. Ergo.

10. Resp. *Dist. mai.*, est prima veritas in ordine existentiae, *conc. mai.*, in ordine cognitionis, *neg. mai.*; item *dist. min.*, veritas prima in ordine cognitionis, *conc. min.*; in ordine existentiae, *neg. min.* *Neg. cons.* <sup>2</sup>

11. Obiic. 2° Plures ex ss. Patribus docent cognitionem Dei esse nobis naturaliter insitam, et, ut loquitur Damascenus <sup>3</sup>, in-

monstrationis capacem docet, quippe quod natura demonstrationis ea est, ut quidquam ex alio quopiam, in quo continetur, eliciatur, et Deus nulla re unquam contineri potest. In horum sententiis excutiendis non immoramur. Etenim quid de ratione practica Kantii sentiendum sit, ostendimus in *Criteriaologia* (loc. cit. art. 3, p. 266-267). Ad Iacobium quod spectat, quantum cognitio *instinctiva* ab hominis natura rationali sit aliena, demonstravimus in *Dynamilogia* (c. IV, art. 9, p. 148, vol. I). Neque illud silentio praetereundum est, criterium *sensus interioris* a Iacobo admissum rerum veritati manifestandae prorsus impar esse. Etenim sceptici veteres, et recentes numquam dubitarunt, quin homines Dei existentiam, aliasque veritates *fide naturali* admittant, sed hanc *fidem* seu *sensus interioris manifestationem* inter praeiudicatas opiniones amandant. Quocirca qui illam fidem, seu sensum interioriorem Scepticis obiiciunt, aerem verberant, suamque operam abutuntur. Denique, quod attinet ad Lamennaisium, perspicuum est illius errorem ex eo enasci, quod connexionem logicam cum reali, ordinemque demonstrationis cum ordine existentiae perperam confundit; siquidem in demonstratione, qua existentia Dei probatur, non quidem ipse Deus, sed nostra Eius cognitio ab alio, in quo illa continetur, elicitur. — <sup>1</sup> *Op. cit.*, *ibid.*, a. 1 ad 3.

<sup>2</sup> Cf quae de hac re scripsimus in *Idealog.*, c. I, art. 9, p. 207, vol. I.

<sup>3</sup> *De Fide orthodox.*, lib. I, c. I.

*seminalam*. Atqui secundum has loquendi rationes idea Dei est nobis ab ipso Deo infusa. Ergo Deus est per se notus non solum *secundum se*, sed etiam *quoad nos*.

12. Resp. *Neg. min.* Etenim ss. Patres, ut alibi innuimus <sup>4</sup>, Deum non nisi e rebus creatis ratiocinando a nobis cognosci ex communi sententia docuerunt. Quare, ut s. Thomas observat, cum cognitionem Dei nobis ingentam esse asserunt, de Deo sub ratione beatitudinis *in communi* aliqui eorum loquuntur <sup>2</sup>, cum enim homines naturaliter desiderent esse beati, naturaliter cognoscunt esse aliquam beatitudinem; et quoniam Deus est obiectum beatitudinis, « cognoscere Deum esse in aliquo communi, sub quadam confusione est nobis naturaliter insertum... Sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sicut cognoscere venientem, non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens: multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias; quidam vero voluptates; quidam autem aliquid aliud <sup>3</sup> ». Alii vero volunt Deum esse naturaliter nobis notum propter consuetudinem, qua homines ab incunabulis nomen Dei audire, et invocare consuescunt; consuetudo enim, praecipue quae est a principio, vim naturae obtinet, et ea, quibus a pueritia animus imbuitur, ita firmiter tenentur, ac si essent naturaliter nota <sup>4</sup>.

13. Inst. Cartesius: Ad ideam Dei, seu Infiniti ex nobis ipsis, qui finiti sumus, assurgere non possumus. Ergo idea Dei ab ipso Deo nobis infusa dicenda est.

Resp. *Neg. ant.* Quomodo ad existentiae, atque naturae Dei cognitionem pervenire nobis liceat, mox explicabimus. Satis sit hic observare nullam ex eiusdem Cartesii principiis rationem esse, cur idea Dei nobis innata dicenda sit. Etenim Cartesius haec docet: In infinito duo spectanda esse, rem ipsam, quae infinita est, et *infinitionem*, quae in re illa infinita est: rem infinitam nos posse percipere positive quidem, sed non *adaequate*; siquidem cum finiti simus, infinitum comprehendere non possumus:

<sup>1</sup> *Ideal.*, loc. cit., p. 207-208. Id ipsum ex mox dicendis amplius declarabitur.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. I, a. 2 ad 1.

<sup>3</sup> I, q. II, a. 1 ad 1.

<sup>4</sup> *Contr. Gent.*, lib. I, c. 11. Vid. Kleutgen, *La Filos. antica esposta e difesa*, t. III, tratt. V, c. 3, § I, p. 134 sqq; § II, p. 149 sqq, Roma 1867.

*infinitionem* vero a nobis cognosci *negative*, quatenus ab infinito omnes limites per mentis actionem removemus<sup>1</sup>. Ex quibus ipsius Cartesii principiis colligitur ideam rei infinitae finitam esse et quoad ipsam rem infinitam, quia eam perfecte non comprehendimus, et quoad *infinitionem*, quia quod negative cognoscitur, sane non cognoscitur infinite. Quod si idea rei infinitae, quam in mente habemus, non est infinita, patet eam aliunde proficisci posse, quam a re itidem infinita; atque ideo nulla est ratio, ob quam illa debeat esse innata. Accedit 1° quod mens in cognitione rerum eas non producit, sed detegit<sup>2</sup>, ac proinde nulla in eo est repugnantia, quod mens finita notionem rei infinitae ipsa sibi comparet; idque ex eo magis perspicitur, quod « omne cognoscens habet cognitionem de re cognita non per modum rei cognitae, sed per modum cognoscentis<sup>3</sup> »; 2° quod, si mens ex eo, quod finita est, non valeret suis cognoscendi facultatibus Infinitum attingere, ne per ideam quidem sibi infusam illud cognosceret; nam haec idea innata, quippe quae ipsi menti inhaerere debet, non nisi finita, aeque ac mens, esse posset.

ART. II. De genere argumentorum, quibus Dei existentia est demonstranda

14. Duplici demonstrationis genere, quemadmodum in *Logica* explicavimus<sup>4</sup>, aliquid probari potest, a *priori* nempe, vel a *posteriori*. Iam demonstratione a *priori* existentiam Dei probari non posse pro comperto habetur; siquidem demonstratio a *priori* ea est, quae fit per causam; Deus autem, utpote Ens supremum, et Causa prima, nihil habet se prius, quod instar causae spectari possit.

15. At vero nonnullis Philosophis existentiam Dei non quidem argumentatione a *priori*, sed a *simultaneo*, ea nempe, qua realis existentia Dei ex ipsa Eius notione arguitur, probari posse visum est. Hoc argumentum in primis a s. Anselmo excogitatum fuit<sup>5</sup>, qui his ferme verbis illud enunciavit: Omnes nomine

<sup>1</sup> Réponses aux premières objections, 1° Object.

<sup>2</sup> Cf *Dynam.*, c. IV, art. 10, p. 154, et *Ideal.*, c. I, art. 4, p. 197, vol. I.

<sup>3</sup> In *lib. I Sent.*, Dist. III, q. I, a. 1 sol.

<sup>4</sup> Par. II, c. III, art. 2, p. 65, vol. I.

<sup>5</sup> Vix S. Anselmus argumentationem suam proposuit, cum adversarium nactus fuit monachum Gaunilonem, qui hac de re scripsit opus, cui no-

Dei intelligunt illud, quo nihil maius cogitari potest, ac proinde illud, quo nihil maius cogitari potest, in intellectu existit. Atqui, si illud, quo nihil maius cogitari potest, existit in intellectu, etiam in re, nempe extra intellectum, existere debet. Ergo illud, quo nihil maius cogitari potest, nempe Deus, existit et in intellectu, et in re. *Minor* ita probatur. Illud, quod existit in intellectu, et in re, maius eo est, quod in intellectu tantum existit. Ergo, si id, quo maius cogitari non potest, existeret tantum in intellectu, tunc illud, quo aliquid maius cogitari non potest, esset huiusmodi, ut aliquid eo maius cogitari possit; id quod contradictionem implicat<sup>1</sup>.

16. Huiusmodi argumentum a Cartesio praesertim, atque a Leibnitio instauratum fuit. Cartesius quidem illud hac ratione exposuit: Ideam rei infinite perfectae in mente habemus, atque ad eam pertinere existentiam clare, et distincte percipimus; siquidem existentia est prima perfectio. Atqui quidquid pertinere ad rem, cuius ideam in mente habemus, clare, et distincte percipimus, id ad rem illam revera pertinet. Ergo res infinite perfecta, nempe Deus, revera existit<sup>2</sup>.

17. Leibnitius autem ita ratiocinatus est: Ens infinite perfectum possibile esse concipimus. Atqui in conceptu possibilitatis Entis infinite perfecti conceptus Eius realis existentiae includitur, nam existentia ad ipsam essentiam Entis infinite perfecti spectat. Ergo Ens infinite perfectum re ipsa existit<sup>3</sup>.

18. Nos, in s. Thomae sententiam<sup>4</sup> concedentes, argumento a *simultaneo* pro existentia Dei, quacumque illud ratione proponatur, nullam vim demonstrationis inesse existimamus. Enimvero eius adsertores non distinguunt id, quod extat in intellectu, ab eo, quod extat in rerum natura, hoc est, ut Scholae aiunt, existentiam a *parte intellectus* ab existentia a *parte rei*. Sane in idea Entis summe perfecti existentia tantum idealis continetur; quocirca, si ex ipsa velit realis Eius existentia inferri,

men, *Liber pro insipiente adversus Anselmi in Prologio ratiocinationem*. Ei tamen sanctus Doctor obiecit aliud opus, cui nomen, *Liber apologeticus contra Gaunilonem*.

<sup>1</sup> *Prolog.*, c. 2. Hunc autem sanctum Doctorem ab Ontologis inter suae sententiae fautores immerito adnumerari egregie demonstravit Ioseph Prisco in *Ephem. La Scienza e la Fede*, vol. XXXIII, Napoli 1857.

<sup>2</sup> *Princip. phil.*, p. I, n. 14. — <sup>3</sup> *Monadologie*, § XLV.

<sup>4</sup> I, q. II, a. 1 ad 2; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 11.

argumentum conficitur, in quo conclusio latius, quam praemissae, patet, quodque in sophisma *transitus ab intellectu ad rem* appellatum incidit. Id in tribus propositis argumentis observare cuique licet. Etenim 1° in argumento anselmiano ex eo, quod cogitamus Ens, quo nullum maius esse potest, atque ex eo, quod illud, quod existit in intellectu, et in rerum natura, maius eo est, quod existit tantum in intellectu, haec conclusio dumtaxat inferri iure potest: *non posse cogitari Ens summe perfectum, quin tamquam reipsa existens cogitetur*; ita ut probandum maneat hoc Ens, quod a nobis tamquam reipsa existens cogitatur, extra nostrum intellectum existere.

2° Quod spectat ad argumentum Cartesii, quemadmodum si quis diceret in idea Pegasi perfecti contineri non tantum perfectionem illam, quod sit equus alas habens, sed etiam illam, quod existat, non propterea colligitur Pegasus habere realem existentiam; ita licet cogites Ens omnem perfectionem, ac proinde etiam existentiam includens, non proinde sequitur reipsa illud existere, nisi aliunde probes non solo mentis conceptu existentiam illam comprehendendi, sed extra intellectum re ipsa reperiri. Quocirca illud cartesianum principium: *Quod clare, et distincte intelligimus pertinere ad aliquam rem, id de eadem re cum veritate affirmandum est*, hoc, inquam, principium verum est de re, uti a nobis concipitur, sive, uti ab idea nostra repraesentatur, non de natura, quam extra intellectum habet. Cum autem ex eo, quod est in nostro intellectu, ad rem ipsam, uti in se est, gradum facimus, tum in paralogismum incurrimus, quia ex statu ideali in statum realem egredimur.

3° Idem de Leibnitii argumento dicendum est. Ex eo enim, quod concipimus possibile Ens maxime perfectum, ad cuius essentialiam existentia pertinet, consequitur quidem huiusmodi Ens non posse a nobis concipi tamquam possibile, nisi tamquam existens concipiatur; at numquam inferri potest id ipsum ex parte rei locum habere, et veritatem.

ART. III. Argumenta a posteriori, quibus Dei existentia probatur, exhibentur, et primum ea, quae metaphysica appellantur

19. Iam vidimus existentiam Dei non esse veritatem, quae sine demonstratione a nobis cognoscitur, atque argumentatione neque a priori, neque a simultaneo probari posse. Quocirca ar-

gumentatione a posteriori ad huius veritatis cognitionem nos pervenire dicendum est: « Per effectus de Deo cognoscimus quod est, et quod causa aliorum est <sup>1</sup> »; cum enim res coeperint esse, oportet, ut ab aliqua causa sint, quae dat omnibus esse. « Equis, ait Damascenus, hoc nobis non assentiatur, omnia, quae sunt, mutabilia esse? Cum ergo mutabilia sint, sane etiam creata esse oportet. Si vero creata, haud dubium, quia ab aliquo opifice sint condita. Atqui Creatorem increatum esse necessum est; nam si Ipse quoque creatus est, a quodam profecto creatus erit, sicque donec ad aliquod increatum venerimus <sup>2</sup> ».

20. Ex his autem argumentis a posteriori illud, quod ex effectuum, sive mundi existentia, et natura deponitur, *metaphysicum*; illud autem, quod admirabilis mundi ordo nobis suppetit, *physicum*, seu *physico-theologicum* appellatur. His argumentorum generibus addi solet argumentum *morale*, quod nempe ab omnium populorum consensione petitur. Argumentum *metaphysicum* iis quinque, quibus a D. Thoma proponitur <sup>3</sup>, rationibus hic exhibemus:

21. Prima ratio ex motu, seu mutatione rerum mundanarum ducitur: Existit motus in rerum natura. Atqui hic motus sine primo movente immobili, quod Deus est, existere non potest. Ergo existit Deus.

22. *Minor* tria complectitur, nempe 1° motum expostulare aliquod movens distinctum ab ipsa re, quae movetur; 2° deveniendum esse ad aliquem primum Motorem, qui a nullo moveatur, et a quo motus omnis aliorum incipiat; 3° huiusmodi Motorem esse Deum. Haec tria singillatim planis argumentis demonstrantur: 1° Nihil movetur, nisi prout est in potentia ad id, ad quod movetur; e contrario, nihil movet aliud, nisi prout est in actu, unumquodque enim agit, quatenus est *in actu*. Atqui non est possibile idem simul esse in potentia, et in actu secun-

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 49. Cf s. Bonav., *Lum. Eccl.*, Serm. V.

<sup>2</sup> *De Fide orth.*, lib. II, c. 3. « Unde scio, inquit s. Augustinus, quia vis, cuius animam non video? unde scio? Respondebis: Quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte! ex operibus corporis agnosco viventem; ex operibus creaturae non potes agnoscere Creatorem? » *Enarr. in Ps. LXXIII*, n. 25. Cf *De Civ. Dei*, lib. VIII, c. 6; *Conf.*, lib. VII, c. 17, n. 23; *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 32, et alibi passim.

<sup>3</sup> I, q. II, a. 3.

dum idem. Ergo aliud debet esse movens, aliud motum; et proinde id, quod movetur, ab alio moveatur oportet.

2° Si in moventibus, et motis progressus in infinitum admitteretur, ita ut illud, quod movet, ab alio moveretur, et hoc rursus ab alio, et sic deinceps, quin umquam deveniatur ad primum movens immobile, infinitae motiones causarum, et moventium superiorum concurrere deberent, ut motus in aliqua re contingere possit. Atqui infinitum pertransiri nequit. Ergo, nisi ad primum movens immobile deveniatur, motus explicari haud posset<sup>1</sup>.

3° Illud, quod est omnino immobile, necesse est ut sit *actus purus*, seu ut omnes posibles perfectiones *actu* habeat; nam si vel minima careret, posset eam acquirere, ideoque non esset omnino immobile. Atqui ens, quod omnes posibles perfectiones *actu* possidet, est Deus. Ergo illud primum movens immobile est Deus.

23. Secunda ratio ex causarum efficientium ordine depromitur: Plura sunt in hoc Universo effecta, et quoniam fieri nequit, ut aliquid seipsum efficiat<sup>2</sup>, causae efficientes, a quibus illa effecta producantur, admittendae sunt. Hae autem causae ordinem inter sese praeserunt, ita ut una ab altera pendeat. Hoc praestituto, argumentum ita conficitur. In ordine causarum efficientium progressus in infinitum repellitur, atque causa prima, quae a nulla alia pendet, expostulatur. Atqui haec causa prima, quae a nulla alia pendet, est Deus. Ergo existit Deus.

24. *Maior* ex eo probatur, quod si progressus ille admitteretur, nullus extare posset effectus. Et sane, ordo causarum efficientium in eo consistit, quod *primum sit causa medii, et medium causa ultimi*. Atqui, si causae huiusmodi essent, ut una ab alia penderet, et haec rursus ab alia, et sic deinceps in infinitum, aliquid primum numquam assignari posset. Ergo, admissio progressu in infinitum in causis efficientibus, causae primae aditus praeccluderetur. Atqui, remota causa, removeretur effectus.

<sup>1</sup> Potest hoc, ad rem inquit Gonetus, declarari, et illustrari exemplo horologii, in quo si essent infinitae rotae, et quaelibet dependeret in suo motu ab alia superiori, nec posset movere, nisi dependenter ab illa prius movente, nulla esset, quae posset ultimo movere, et pulsare horas; quia numquam posset deveniri ad primam, quae ceteras omnes moveret, cum infinita illa multitudo rotarum numquam esset pertransibilis; *Manuale Thomistarum*, tract. I, c. I, § 4.—<sup>2</sup> Cf. *Ontol.*, c. IX, art. 6, p. 67, not. 3.

Ergo, cum non sit causa prima, neque causae mediae, ac proinde neque ultimae, neque ullus effectus existere possent<sup>1</sup>.

25. Tertia ratio ex variis entitatis gradibus, qui in rebus inveniuntur, ducitur: Sane in his invenitur aliquid magis, et minus bonum, verum, perfectum etc. Atqui magis, et minus bonum, verum, perfectum dicuntur de diversis, prout diversimode appropinquant ad aliquid, quod est maxime tale, nempe quod est optimum, verissimum, perfectissimum, ac proinde quod est maxime ens. Ergo aliquid, quod sit maxime ens, existit. Atqui illud, quod dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium, quae ad illud genus pertinent. Ergo illud maxime ens causa sit oportet ipsius esse, ac totius bonitatis, veritatis, et perfectionis, quae in diversis entibus inest. Iam hoc ens illud est, quod dicitur Deus.

26. Quarta ratio ex contingentia rerum, quae sunt in mundo, infertur. Re quidem vera, res, quae in mundo existunt, sunt contingentes, nempe cum sint mutabiles, limitibusque circumscriptae, ita existunt, ut potuerint non existere, ac proinde in seipsis rationem sufficientem suae existentiae non continent. Atqui entia contingentia existere haud possent, nisi existentia Entis necessarii admittatur, quod existat a se, et a quo entia contingentia ad existentiam determinantur. Ergo existit Ens necessarium, quod est Deus.

27. *Probat minor*. Entia contingentia, cum ex natura sua non nisi possibilitatem ad esse exhibeant, nequeunt ad actum reduci, nisi per aliquam causam, in qua ratio, cur ipsa *actu* existant, continetur. Id explicari potest exemplo aeris, qui, cum sit *in potentia* ad lucem, non potest illuminari, nisi a corpore lucido; necnon aquae, quae, cum sit *in potentia* ad calorem, non nisi a calido calefieri potest. Atqui, si omnia essent contingentia, seu nisi praeter entia contingentia Ens necessarium existeret, causa, quae rationem existentiae eorum contineat, assignari non

<sup>1</sup> Neque effugium aliquod sperare valent adversarii ex hypothesi seriei infinitae causarum, et effectuum in linea circulari. Id enim absurdi in hac hypothesi praecipue obtinet, quod duo entia sint sibi mutuo causa simul et effectus. Sane, ponamus circulum istum constare entibus *A, B, C, D*. Evidens est ens *A* esse causam proximam entis *B*, et remotam entis *D*; ergo ens *D* esset effectus entis *A*. At in circulo ens *D* esset etiam causa entis *A*; ergo ens *D* esset simul causa, et effectus entis *A*, et ideo ipsam sui causam efficientem efficeret.